

## ***TABERNARIUS QUI PARVUM CEREBRUM HABET ...***

Iulius et Aemilia in foro Romano sunt atque ante tabernas ambulant. Forum plenum est virorum et feminarum. Sol in caelo lucet et nulla nubes in eo videtur.

Dum Iulius Aemiliaque per vias ambulant, liberi in villa sunt: aegri enim sunt.

Tabernae multae et pulchrae sunt et tabernarii (tabernarius est qui tabernam habet) multa vendunt: cibum (panem, pira, mala ...), ornamenta (anulos, gemmas, margaritas ...), animalia (oves, aves, canes ...) et cetera. Alii tabernarii vendunt rosas liliaque.

Iulius vir pecuniosus est, itaque Aemilia multa ornamenta ab eo accipit; nam ea in collo lineam margaritarum habet et digitus eius magno anulo cum magna gemma ornatur.

Aemilia pulchra et bona femina est, quae Iulium amat; Iulius quoque Aemiliam amat.

Nunc Aemilia ante tabernam in qua animalia venduntur consistit et Iulium vocat: "Iuli, veni! Aspice hanc parvam avem ... quam pulchra est!" Iulius tabernam petit, aves in mensa aspicit et dicit: "Haec avis non tam pulchra est quam illa". Aemilia: "Sed illa avis fera est ... aquila est!" Iulius: "Aquila fera est?" Aemilia respondet: "Aquila fera et foeda est!" Iulius: "Ergo hanc parvam avem eme!"

Tabernarius verba eorum audit. Nomen tabernarii Albinus est. Albinus parvum cerebrum habet et qui parvum cerebrum habet stultus est, ergo Albinus stultus est.

Iulius Aemiliaque Albinum adesse non vident. Albinus eos salutatur: "Salvete, probi homines!"

Iulius: "Salve, tebernarie!" Aemilia: "Salve!" Albinus: "Ehm, ehm ...", et ridet.

Iulius feminam suam interrogat: "Cur ridet hic tabernarius?" Aemilia: "Quia ... laetus est!"

Albinus ipse respondet: "Nemo hic laetus est: haec aquila non fera nec foeda est, bona autem est".

Et Iulius: "Aemilia, audi!"

Aemilia eum interrogat: "Et quid ēst?" Tabernarius: "Rosas ēst", et unam rosam sumit atque iis ostendit.

Aemilia (in Iulii aurem): "Iuli, hic tabernarius stultus est ... Caput eius aegrum est!" Iulius: "Cur stultus est?" Aemilia: "Quia aquilae alias aves edunt!"

Etiam Iulius stultus est! Aemilia non stulta, sed iam fessa est, itaque Iulium relinquit in via et ab eo abit.

Cum Iulius Aemiliam discedere et aquilam rosam non ēsse videt, dicit: "Aquila rosam non ēst, ergo tabernarius stultus est!, et post Aemiliam currit.